

Pon II: 2021, QK(1)





Q7 550(5)

X 363 4767

Hi  
2021

RECTOR  
 ACADEMIAE LIPSIENSIS  
 MEMORIAM  
 EMENDATIONIS  
 DOCTRINAE ET SACRORVM  
 PER LVTHERVVM  
 FACTAE  
 ORATIONE ANNIVERSARIA

DIE XXXI. OCTOBR. A. MDCCC

IN

AEDE PAVLINA

PIE RECOLENDAM

INDICIT



*De doctoribus veteris ecclesiae culpa corruptae per Platonicas sententias  
 Theologiae liberandis.*

Comentatio VIII.

*Dr. Carl Aug. Gottlieb Reil*

RECTOR  
ACADEMIAE LIPSIAE  
MEMORIAM  
EMENDATIONIS  
DOCTRINAE ET SACRORVM  
PER LVTHERVM  
FACTAE  
ORATIONE ANNIVERSARIA

Die XXXI. Octobr. A. MDCCC

IN

AEDAE PAVLINAE

PER RECORDANDAM

INDICIT



De doctoribus veteris catholice ecclesiae correctione per Martinum Lutherum  
Theologiae licentia

Commissio VIII

**A**bsoluto in libellis ante hoc biennium emissis loco de angelis progrediendum nobis nunc est, ut coeptum semel institutum persequamur, ad locum de homine eiusque inprimis animo <sup>1)</sup>, in quo quidem primum omnium hoc a doctoribus veteris ecclesiae ex Platonica philosophia ab omnibus fere, qui de hoc argumento exposuerunt, arreptum fuisse dicitur, quod tres hominis essentiales, quas dicunt, partes defenderint, spiritum nimirum, animam et corpus. Hanc vero sententiam omnino inter doctores istos fuerunt, qui probarent; de quibus primum omnium singulatim erit dicendum, et quid quisque eorum statuerit, paulo vberius explicandum. Neque enim eadem omnium, sed admodum potius diversa fuit opinio.

Primo autem inter eos loco ponendus est Iustinus Martyr, qui huius sententiae defensorem haud obscure se professus est in *fragment. de resurr. carnis* <sup>2)</sup>, in quo, dum in eo est, ut ostendat, corpora quoque hominum in vitam olim iri reslitutum, haec inter alia ponit <sup>3)</sup>: ἀνάστασις ἐστὶ τῆς πεπτωκότος σαρκὸς. πνεῦμα γὰρ ἐστὶ πῖπτε· ψυχὴ ἐν σώματι ἐστίν, ἢ ζῆ δὲ ἀψυχον. σῶμα, ψυ-

A 2

1) Secundum seriem capitum *Commenr. I. p. 33.* enarratam.

2) Quod post Grabium in *Spicileg. PP. Sec. II. To. I. pag. 177. sq.* et Maranum in edit. *Opp. Adp. Part. II. p. 588. sq.* ex hac ipsa recensione Marana una cum noua versione notisque historicis atque criticis ante

hos triginta et quod excurrit annos separatim recudendum curauit S. V. Tellerus, Berolinensis nunc Theologus, in *Progr. Pasch. Helmst. 1776.* edito, Gallandus vero, quod miror, in sua *PP. Biblioth. silentio prorsus praetermisit.* <sup>3)</sup> *Pag. 191. sq. edit. Grab. et pag. XXXIV. ed. Tell.*



χῆς ἀπολείπεται, ἐκ ἔστιν. Οἶκος γὰρ τὸ σῶμα ψυχῆς, πνεύματος δὲ ψυχῆ οἶκος. Τὰ τρία ταῦτα τοῖς ἐλπίδι εὐκρινῆ καὶ πίστιν ἀδιάκριτον ἐν τῷ Θεῷ ἔχουσι τρωθῆσεται. Quamquam vero in alio eiusdem fragmenti loco duae tantum hominis partes ab illo commemorantur, facile tamen adparet, istum locum cum illo minime pugnare. Versatur nimirum in loco isto in eo, ut doceat, si in libris sacris homo felicitate olim dicatur beandus, fronte intelligi posse, id ad corpus quoque eius esse referendum, adeoque et hoc in vitam restituendum esse iudicandum, quoniam, qui absque corpore cogitetur, ne homo quidem dici possit: id quod his nominatim verbis tradit \*): ἐνθα γὰρ τὸν ἄνθρωπον εὐαγγελίζεται σωσαι, καὶ τῆ σαρκὶ εὐαγγελίζεται. τί γὰρ ἐστὶν ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ' ἢ τὸ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος συνεσῶς ζῶν λογικόν, μὴ ἂν κατ' ἐαυτὴν ψυχὴ ἄνθρωπος; ἐκ, ἀλλ' ἀνθρώπε ψυχῆ. μὴ ἂν καλοῖτο σῶμα ἄνθρωπος; ἐκ, ἀλλ' ἀνθρώπος σῶμα καλεῖται. Εἴπερ ἂν κατ' ἰδίαν μὲν τῶν ἀδελφῶν ἄνθρωπος ἐστὶ, τὸ δὲ ἐκ τῆς ἀμφοτέρων συμπλοκῆς καλεῖται ἄνθρωπος. κέκλικε δὲ ὁ Θεὸς εἰς ζῶν καὶ ἀνάστασιν τὸν ἄνθρωπον, ἔ τὸ μέρος, ἀλλὰ τὸ ὅλον κέκλικεν ὅπερ ἐστὶ, τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα. At enimvero quemadmodum in superiori loco negavit, corpus anima destitutum vivere posse; ita nec animam, quam spiritus ibi domicilium dixerat, absque hoc ipso spiritu ullo modo vivere ac perdurare posse, eum statuisse, luculenter adparet ex alio *Dial. c. Tryph. 5*) loco \*), quo postquam animae propriam vitam inesse negaverat, haec deinde subiicit: ὡς περ ἄνθρωπος ἔ διαπαντός ἐστιν, ἀδὲ συνέστιν τῇ ψυχῇ τὸ σῶμα, ἀλλ' ἐπεὶ ἂν δὲ λυθῆναι τὴν ἀρμονίαν ταύτην, καταλείπει ἡ ψυχὴ τὸ σῶμα, καὶ ὁ ἄνθρωπος ἐκ ἔστιν. ἔ τως καὶ ὅταν δὲ τὴν ψυχὴν μικεῖ εἶναι, ἀπέση ἀπ' αὐτῆς τὸ ζωτικὸν πνεῦμα, καὶ

\*) *Pag. 188. sq. Grab. et p. XXXVI.* studuit Cel. Muencher in peculiari libello academico super ea re edito, quo an *Dialogus cum Tryphone Iustino Martyri* recte adscribatur *disquirunt*, *Murburg. 1799. 4.*

\*) *p. 6. pag. 108. sq. edit. Opp. Maran.*

καὶ ἐκ ἑστίν ἡ ψυχὴ ἔτι, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ Θεὸν ἐλήφθη, ἐκείσε χωρεῖ  
 πάλιν. Quodnam vero præterea inter animam et spiritum dif-  
 erimen statuerit Iustinus, de eo nihil amplius ex scriptis eius  
 cognosci potest, nisi hoc, animam quidem hominis eandem illum  
 cum bestiarum anima iudicasse, spiritum autem, quem et τὸν  
 ἴδν adpellat, ex ipsius sententia eum esse, cuius interventu  
 homo in hac iam vita Deum ex parte possit videre, quanquam  
 post mortem demum eius totus, vt dicit, compos sit futurus <sup>7)</sup>.

Multo plura et apertiora de Tatiani hac de re sententia  
 nobis constant. Is nimirum duo statuit spirituum genera, quo-  
 rum alterum animam, alterum vero anima maius Deique ima-  
 ginem referens dicit, atque vtrumque primis hominibus iudi-  
 cavit adfuisse <sup>8)</sup>, postquam vero peccassent, posterius spiritus  
 genus, quod immortalitatis ipsorum causam complexum fuisset,  
 ab iis secessisse <sup>9)</sup>, ita tamen, vt virtutis eius quasdam veluti  
 scintillas retinerent ipsorum posterius <sup>10)</sup>, possitque etiamnum  
 quisque eorum, si modo velit, virtute colenda in eius iterum  
 societatem redire <sup>11)</sup>; in quo omnibus, vt contingat ipsis, stu-

7) Vtrumque ex eiusdem Dial. c.  
 Τετάρτη, §. 4. pag. 106. satis perspicue  
 intelligitur.

8) Orat. contr. Graec. §. 12. p. 252.  
 edit. Mar. vbi dicit, inquit, πνευματικῶν  
 διαφορὰς ἴσμεν ἡμεῖς, ὡν τὸ μὲν καλεῖται  
 ψυχὴ, τὸ δὲ μῆζον μὲν τῆς ψυχῆς, Θεὸς  
 δὲ εἰκὼν καὶ εἰκόνισσις, ἑκάτερα δὲ παρὰ τοῖς  
 ἀνθρώποις τοῖς πρώτοις ὑπῆρχεν, ἵνα τὸ μὲν  
 τι ὡσιν ὄντοι, τὸ δὲ ἀνώτερον τῆς ὄλης.

9) Ibid. §. 7. p. 249. vbi haec le-  
 guntur: ἐπειδὴ ται φρονιμώτερον παρὰ τῆς  
 λοιπῆς (ἀγγέλου) ἐντι διὰ τὸ πρωτόγονον  
 συνεξηκολούθησαν, καὶ Θεὸν ἀπέδειξαν οἱ  
 ἡλιθιοὶ, καὶ τὸν ἐπαυσιζόμενον τῷ νόμῳ  
 τῆς Θεῶ, τότε ἡ τῷ λόγῳ δύναμις τότε τε  
 ἤρξατο τῆς ἀπονοίας, καὶ τὰς συνακολουθή-  
 σαντας τῆς, τῆς συν αὐτῷ διαίτης παρη-

τήσατο. καὶ ὁ μὲν κατ' εἰκόνα τῷ Θεῷ  
 γεγενῆς χωριζέντος ἀπ' αὐτῆ τῷ πνευμα-  
 τος τῷ δυνατωτέρῳ θυγῆτος γίνεσται.

10) Id adparet ex iis, quae *ibid.*  
 §. 13. p. 255 in hunc modum dicit:  
 γέγνεσεν ἢν συνδιατον ἀρχῆθεν τὸ πνεῦμα τῆ  
 ψυχῆ, τὸ δὲ πνεῦμα ταύτην ἐπεδει μὴ  
 βλομενῆν αὐτῷ καταλέλοπεν. ἡ δὲ ὡσαυτ  
 ἐναυσμα τῆς δυνάμεως αὐτῆ κεντημένη καὶ  
 διὰ τὸν χωρισμὸν τὰ τέλεια καθαρῶν μὴ δυ-  
 ναμένη, ἐπιθεῖα τὸν Θεὸν κατὰ πλάην πολ-  
 λούς θεός ἀνετύπασε, κ. λ.

11) Quo pertinent, quae dicuntur  
 v. c. §. 15. pag. 257. δυνατὸν δὲ  
 παντὶ τῷ νεκημιένῳ, (nimirum a vitis,)   
 πάλιν νικᾶν, τῷ θανάτῳ τὴν σύστασι παρω-  
 τήμενον. τίς δὲ αὐτῆ, εὐσύνπκτον ἔστι τοῖς  
 βουλομένοις ἀνθρώποις τὸ ἀθάνατον: item-  
 que

diöse elaborandum esse monuit <sup>13</sup>). Secundum haec autem spiritum quidem, quem, quoniam Dei aut divini potius λόγος quasi particulam aliquam esse iudicabat <sup>14</sup>), ipsum quoque λόγον τῷ Θεῷ adpellare non dubitavit <sup>15</sup>), neque tamen eodem cum divino Spiritu, sed inferiore potius loco habendum, adeoque ab eo diversum esse censuit <sup>16</sup>), piis tantum hominibus ita statuit inesse, vt cum eorum anima arctissime sit copulatus <sup>16</sup>); animam vero materia constantem atque compositam <sup>17</sup>) et mortalem dixit, ideoque

que §. 20. p. 262. δυνατὸν δε παντὶ γυνεταίνοντι, κηρασθαι τὸ επικρίσμιμα, και πρὸς τὴν συγγένειαν τῆς ἀρχαίας ἀνάδραμειν.

12) Id quod lectoribus suis inprimis §. 15. p. 256. commendat, dum eum demum hominem dicendum esse monet, qui ad istam cum Deo conjunctionem adspiraverit, eoque ipso animam suam cum spiritu S. copulaverit, Deique se similem reddiderit: Χρῆ, inquit, ἡμᾶς ὅπερ ἔχοντες ἀπολαύσκαμεν, τῦτο νῦν ἀναζητεῖ, ζευγύναι τε τὴν ψυχὴν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, και τὴν κατὰ Θεὸν συζητησαν πραγματεύεσθαι. Et paulo post: ἔτι γὰρ ἄνθρωπος, οὐχ ὥσπερ οἱ κεραιόφωνοι δογματίζουσι, ζῶον λογικόν, νῦ και ἐπιτήμιος δεκτικόν. δειχθῆσεται γὰρ κατ' αὐτὸς και τὰ ἄλογα νῦ και ἐπιτήμιος δεκτικὰ. μόνος δὲ ἄνθρωπος εἰκὼν και ὁμοίωσις τῷ Θεῷ. λέγω δὲ ἄνθρωπὸν, οὐχ, τὸν ὅμοιον τοῖς ζῴοις κρέττονα, ἀλλὰ τὸν παρῶν μὲν ἀνθρωπότητος, πρὸς αὐτὸν δὲ τὸν Θεὸν κειχωρικότερα.

13) Hanc certe sententiam satis perspicue producit, quae leguntur §. 7. pag. 249. vbi: λόγος γὰρ, inquit, ὁ ἐπιτήμιος, πνεῦμα γενεῶσις ἀπὸ τῷ πατρὸς και λόγος ἐκ τῆς λογικῆς δυνάμεως, κατὰ τὴν τῷ γεννησάντος αὐτὸν πατρὸς μίμησιν εἰκὼν τῆς ἀθανάσιας τὸν ἄνθρωπον

ἐποίησε. ἵνα ὥσπερ ἡ ἀφθαρσία παρὰ τῷ Θεῷ, τὸν αὐτὸν τῆσον οὐδὲ μίσην ἄνθρωπος μεταλαβὼν, ἔχη και τὸ ἀθάνατον.

14) Quod aperte fecit §. 13. p. 254. sq. vbi de animae natura haec tradit: καθ' εἰαυτὴν σκότος ἔστι, και ἕδν ἐν αὐτῇ φωτιστὸν, και τῦτο ἐστὶν ἕρα τὸ εἰρημένον (Io. I, §.) ἡ σκοτία τὸ φῶς ἐ καταλαμβάνει. ψυχὴ γὰρ αὐκ αὐτῇ τὸ πνεῦμα ἐσωσεν, ἐσώθη δὲ ὑπ' αὐτῆ, και τὸ φῶς τὴν σκοτίαν κατέλαβεν. ὁ λόγος μὲν ἔστι τὸ τῷ Θεῷ φῶς, σκότος δὲ ἡ ἀνεπίσημον ψυχὴ. κ. τ. λ.

15) Cuius rei testis est locus §. 4. pag. 247. ita habens: πνεῦμα γὰρ τὸ διὰ τῆς ὕλης δίκον, ἔλαττον ὑπάρχει τῷ θεοτέρῳ πνεύματος. ὅπερ δε ψυχὴ παραμοιωμένον, ἐ τιμητῶν ἐπίσης τῷ τελείῳ Θεῷ.

16) Vnde §. 13. pag. 255. diferte haec ab eo dicuntur: πνεῦμα δὲ τῷ Θεῷ παρὰ πᾶσιν μὲν ἐκ ἔστι παρὰ δὲ τισι τοῖς δικαίως πολιτευομένοις καταγόμενον, και συμπλεκόμενον τῇ ψυχῇ, διὰ προαγορεύσεων ταῖς λοιπαῖς ψυχαῖς τὸ κεραιόμενον ἀνηγγεῖλε.

17) Ibid. §. 15. p. 256. ψυχὴ μὲν ἡ πῶν ἀνθρώπων πολυμερῆς ἔστι και ἡ κεραιόμερῆς. συνδεθῆ γὰρ ἐστὶν, ὡς εἶναι φανερὸν αὐτῇ διὰ σώματος,



que cum corpore etiam, quo contineatur, interituram esse defendit, eandem tamen in vitam iterum restitutum iri speravit<sup>18)</sup>.

His perquam similia sunt, quae apud Irenaeum de eadem re leguntur. Hic enim et ipse quidem aliquoties tres partes commemorat, quibus perfectum hominem dicit constare, spiritum, animam et corpus<sup>19)</sup>; at priorem nuspian tanquam eiusmodi partem eius describit, quae natura ipsi inesset<sup>20)</sup>, sed de illo semper tanquam eiusmodi re loquitur, quam anima hominis accipiat atque adsumat<sup>21)</sup>, et in qua ille habitat<sup>22)</sup>, omninoque

18) De qua re haec habet §. 13. pag. 254. ἡ δὲ ἐν ἀθάνατος ἡ ψυχὴ καθ' ἑαυτὴν, θνήσκει δὲ, ἀλλὰ δύναται ἡ αὐτὴ καὶ μὴ ἀποθνήσκειν. θνήσκει μὲν γὰρ καὶ λύεται μετὰ τὸ σῶματος, μὴ γινώσκουσα τὴν ἀλλόθειαν, ἀγίσταται δὲ εἰς ἕτερον ἐπὶ συντάξει τῶ κοῦσιν σὺν τῷ σῶματι, θάνατον διὰ τιμωρίας ἐν ἀθανασίᾳ λαμβάνουσα. πάλιν δὲ ἡ θνήσκει, κῆν πρὸς καιρὸν αὐθιγῆ, τὴν ἐπιγνώσιν τῆ Θεῷ παροικιμένη.

19) E. c. adu. haer. lib. V. c. 6. p. 406. edit. Grab. vbi, perfectus, inquit, homo commixtio et adiunctio est animae assumens Spiritum Patris, et admixta ei carni, quae est plasmana secundum imaginem Dei: et paulo post pag. seq. haec habet: Neque enim plasmano carnis ipsa secundum se homo perfectus est; sed corpus hominis et pars hominis. Neque enim et anima ipsa secundum se homo, sed anima hominis et pars hominis. Neque Spiritus homo: Spiritus enim et non homo vocatur. Commixtio autem et unio horum omnium perfectum hominem efficit. Et propter hoc Apostolus se ipsum exponens, explanavit perfectum et spirituale salutis hominem, in prima Epistola ad Thessalonicensis (V. 23.) dicens sic: Deus autem pacis sanctificet vos perfectos, et integre vestret

spiritus et anima et corpus sine querela in aduentu Domini. I. C. ferretur. Atque cap. 9. reprehendit haereticos, non conspicientes, quia sunt tria, ex quibus perfectus homo constat, carne anima et Spiritu.

20) Vbi enim de iis, quae natura hominem constituunt, sermo ipsi est, semper duas tantum eius partes commemorat, animam et corpus; cuius rei luculentissimum documentum praebet locus lib. II. c. 16. pag. 136. vbi haec quidem, inquit, in hominibus capite dicit, cum sint compositi natura, et ex corpore et anima subsistentes. Addi tamen etiam possunt alia loca huic simillima, quae leguntur lib. II. c. 52. pag. 180. et cap. 62. pag. 191. l. III. c. 32. pag. 260. l. IV. praef. pag. 276. et l. V. c. 8. p. 410.

21) Quod praeter locum not. 19. iam laud. adparet etiam ex loco libr. III. c. 32. pag. 260. vbi haec habet: Nos autem quoniam corpus de terra acceptum, et anima accipiens a Deo Spiritum, omnis quicumque conficitur; itemque iis, quae leguntur l. V. c. 8. p. 410. substantia nostra, id est, animae et carnis adiunctio adsumens Spiritum Dei, spiritualem hominem perfit.

noque nihil aliud in eo vult cogitari, quam Spiritum S. <sup>23)</sup> per Christum hominibus concessum <sup>24)</sup>, qui cum iis, quibus coactigerit, arctissime se copulet atque coniungat <sup>25)</sup>, quemque in futura etiam vita non modo iterum sint recepturi <sup>26)</sup>, sed multo etiam plenius atque largius percepturi, cum nunc eius tantum parte fruuntur <sup>27)</sup>. Animam autem ab afflatu Dei repetit <sup>28)</sup>,

22) Vnde L. I. c. 18. pag. 91. anima spiritus velut habitaculum dicitur.

23) Id quod bene iam viderunt Moshemius in Notr. ad Cudworthi System. intell. cap. V. sect. III. §. 27. pag. 107. 19. et Masluerus Dissert. III. in Iren. art. IX. §. 19. Opp. To. II. pag. 143.

25) Hinc perfecti huius, quem dicit, hominis creationem a Christi demum tempore repetit L. V. c. 1. pag. 394. quemadmodum, inquit, ab initio plasmationis nostrae in Adam ea, quae fuit a Deo inspiratio vitae, unita plasmati, animavit hominem, et animal rationale ostendit; sic in fine Verbum Patris et Spiritus Dei, adiutus antiquae substantiae plasmationis Adae, viventem et perfectum efficit hominem, etc. Citur etiam L. IV. cap. 66. pag. 364. et L. V. cap. 12. p. 416.

25) Vnde lib. V. cap. 12. pag. 416. dicitur πνεῦμα περιλαβὸν εἰδοθέν καὶ ἐκείνου ἀνδρωπόν, ἀπὸ τοῦ πατρὸς ἡμῶν.

26) Hanc spem A. II. c. 62. p. 191. his verbis proficitur: πάντες οἱ ἐργασθέντες εἰς τὸν ἀναστήσαντα, ἴδια ἔχοντες εὐμαρτίαν, καὶ ἰδίαις ἐχούσας ἀρχάς, καὶ ἴδια πνεύματα, ἐν οἷς εὐπρέπην τοῦ Θεοῦ; itemque L. V. c. 61. p. 407. vbi, postquam in verbis nos. 19. laud. commemorauerat Iocem Pauli 1. Theß. V. 23. haec deinde addit: et quam vti-

que causam habebat, his tribus, id est, animae et corpori et spiritui, integram et perfectam perseverantem precari in aduentu Domini, nisi reintegrationem et adiunctionem trium et vitam et eandem ipsorum sciebat salutem? Propter quod et perfectos ait eos, qui tria sine querela exhibent Domino.

27) Qua de re inprimis loquitur L. V. cap. 8. pag. 409. 19. Nunc, inquit, partem aliquam Spiritus eius sumimus, ad perfectionem et praeparationem incorruptelae, paulatim affuefcientes capere et portare Deum: quod et pignus dixit Apostolus. Et paulo post: Si pignus complectens hominem in semetipsum, iam facit dicere, Abba, Pater, quia faciet vniuersa Spiritus gratia, quae hominibus abitur a Deo, cum similes nos ei efficit, et perficiet voluntate Patris?

28) In quam rem praeter locum nos. 24. laud. et alium paulo post nos. 30. laudandum inprimis perspicuus locus extat etiam L. V. c. 12. p. 415. sq. vbi multis de discrimine inter afflatum et Spiritum disputat, atque illum omnibus hominibus contigisse, huic vero iis tantum docet concedi, qui terrenas, vt dicit, concupiscencias contulerit, eumque nouissimis demum temporibus in genus humanum dicit effulsum fuisse.

et inter carnem ac spiritum mediam collocat<sup>29)</sup>, neque tamen, vt Tatianus, compolitam et mortalem esse defendit, sed certo saltem respectu incorpoream<sup>30)</sup> et ipsa natura sua immortalē<sup>31)</sup> declarat.

Ab vtriusque vero sententia prorsus seiuncta fuit Clementis Alexandrini opinio. Is enim diserte duplicem animam commemorat<sup>32)</sup>, quae cuilibet homini insit, quarumque alteram λογικὴν ψυχὴν<sup>33)</sup> aut νῦν, alteram vero σωματικὴν ψυχὴν vel πνεῦμα ἄλογον<sup>34)</sup> et σαρκικὸν<sup>35)</sup> adpellat. Atque hanc quidem, quam a Deo formatam esse statuit<sup>36)</sup>, per sensus et totum reliquum corpus dicit pertinere, atque ipsam etiam corpore interueniente affici, inque ea omnem vivendi, nutriendi se atque movendi vim latere, hincque hominem per eam sentire, concupiscere, laetari, irasci, ali atque augeri, ab eademque etiam agendi eius, quod mente conceperat, initium fieri<sup>37)</sup>; illi autem,

29) Lib. V. c. 9. pag. 41. Id vero, quod inter haec est duo, (carnem et spiritum,) est anima, quae aliquando quidem subsequens spiritum, elenatur ab eo, aliquando autem consentiens carni, decedit in terrenas concupiscentias.

30) De qua re l. V. c. 7. p. 408. haec leguntur: Quae sunt ergo mortalia corpora? Num quidnam animae? Sed incorporeales animae, quantum ad comparationem mortalium corporum. Insufflavit enim in faciem hominis Deus flatum vitae et factus est homo in animam viventem: flatum autem vitae incorporealis est.

31) Quod et ipsum docet loco not. super. excitato, dum post laudata verba addit: Sed ne mortalem quidem possunt dicere ipsum flatum vitae existentem. Simili modo etiam cap. 13. pag. 419. dicit: nec anima mortalis, necque spiritus.

32) Quod sit v. c. Strom. lib. VI. §. 16. pag. 808. sq. edit. Potr. ubi legis praecepta scripta est: dicit δισσαῖς πνεύμασιν, τῇ τε ἡγεμονικῇ, τῇ τε ὑποκειμένῃ.

33) Quo nomine vitur Strom. l. V. §. 14. pag. 703. itemque lib. VI. §. 8. pag. 774.

34) Quod vtrumque nomen legitur Strom. l. VII. §. 12. p. 880.

35) Strom. l. VI. §. 16. p. 808.

36) Diserte enim l. l. adpellat τὸ κατὰ τὴν πλάσιν πνευματικὸν et pag. seq. dicit πλασθέν.

37) Haec omnia in eodem illo, quem modo excitauimus, loco leguntur, ubi pag. 808. de huius ψυχῆς σαρκικῆς natura haec habet: αὐτὴ κατὰ τὴν μὲν ζωτικὴν δύναμιν, ἔμπεριέχεται τὸ θεραπευτικὸν τε καὶ αὐξητικὸν καὶ καθ' ὅλην κινητικὸν, τὸ πνεῦμα εἰληχεν τὸ σαρκικόν, ὁξυκίνητον ὄν, καὶ παντὶ διὰ τε τῶν αἰσθή-

B

114

tem, quam a Deo ait homini inspiratam<sup>38)</sup>, eiusque λόγος imaginem esse dicit<sup>39)</sup>, duas facultates adsignat, intelligendum nimirum ac cognoscendi atque libere volendi<sup>40)</sup>. Quae cum ita sint, facile intelligi potest, qui fiat, ut aliquo loco tria ponat, arctissime secum inuicem coniuncta<sup>41)</sup>, corpus nimirum, animam et spiritum. Est tamen etiam, ubi non tres, sed decem potius hominis partes commemorat<sup>42)</sup>, aperte tamen in allegorica disputatione versans, per occasionem quippe Decalogi numerum denarium ad coelum, terram et homines transferens.

Multo vero apertius atque explicatius etiam hanc de triplici hominis parte doctrinam proposuit Clementis discipulus, Origenes, etsi non eadem plane cum illo statuisseprehenditur.

σενον και τῷ λοιπῷ σώματι πορευόμενον τε και πρωτοπαθῆν δια σώματος. — δια τῷ σωματικῷ ἀρα πνεύματος αἰσθάνεται ὁ ἄνθρωπος, ἐπιθυμῆι, ἡδεται, ὀργίζεται, τρέφεται, αἰσθεται\* και ὁη και πρὸς τὰς πράξεις δια τὰτα πορεύεται τὰ κατ' ἔννοιαν τε και διανοίαν.

38) *Serom. l. V. §. 14. p. 703.* ubi Mosen dicit narrare, ψυχὴν τὴν λογικὴν ἀνωθεν ἐμπνευθῆναι ὑπὸ τῷ Θεῷ εἰς πρόσωπον, additque illustrationis causa: ἐνταῦθα γὰρ τὸ ἡγεμονικὸν ἰδρῶσαι λέγουσι, τὴν δια τῶν αἰσθητηρίων ἐπιστάδιον τῆς ψυχῆς ἐπὶ τῷ πρωτοπλαστῷ εἰσοδὸν ἐρμηθεύοντες.

39) De qua re in eodem loco statim haec subiicit: εἰκὼν μὲν γὰρ Θεῷ λόγος Θεῶς και βασιλικὸς, — εἰκὼν δ' εἰκόνοσ, ἀνθρώπινοσ νῦσ. Eadem leguntur etiam in *Cohort. ad Gent. §. 10. pag. 78 sq.* ad quem locum in *Nor.* subieceram plura etiam alia ei simillima excitantur.

40) *Serom. lib. VI. §. 8. pag. 774.* ubi και μή τι, inquit, ἡ γνώσις ἰδωμοσ ψυχῆσ τυγχάνει λογικῆσ, εἰς τὰτα ἀσκημέ-

νοσ, ἵνα δια τῆσ γνώσιωσ εἰς ἀθανάσιαν ἐπιγραφῆ; ἀμφω γὰρ δυνάμισ τῆσ ψυχῆσ, γνώσισ τε και ὀρμη. Huic vero appetendi facultati etiam libertatem ab eo tribui, docet locus eiusdem libr. saepe iam laudat, *p. 808.* ubi de anima hominis λογικῆ haec habet: τὴν προαιρετικὴν δὲ τὸ ἡγεμονικὸν ἔχει δυνάμιον, περὶ ἣν ἡ ζήτησισ και ἡ μάθησισ και ἡ γνώσισ.

41) *Serom. lib. III. §. 10. pag. 542.* ubi locum *Matth. XVIII. 2.* allegorice explicans inter alia etiam haec ponit: εἰέν δ' ἄν και ἄλλωσ, οἱ μὲν τρεῖσ, θυμοσ τε και ἐπιθυμία και λογισμοσ. ἀρεθὲ δὲ και ψυχῆ και πνεύμα, κατ' ἄλλον λόγον: cui allegoriae simillima occurrit apud Origenem *To. XIV. in Matth. §. 3. pag. 618. Opp. To. III. edit. de la Rue.*

42) *Serom. lib. VI. §. 16. pag. 808.* Harum quinque priores ipsi sunt τὰ αἰσθητήρια πέντε, sexta τὸ φωνητικόν, septima τὸ σπωματικόν, octava τὸ κατὰ τὴν κλάσιν πνευματικόν, nona τὸ ἡγεμονικόν τῆσ ψυχῆσ, et decima denique τὸ δια τῆσ πίτεωσ προσγιγόμενον ἅγιον πνεύματοσ χαρακ-

tur. Is nimirum, quanquam in libr. *περι ἀρχ.* <sup>43)</sup>, super quaestione, utrum duae, alia quidem coelestis et bona, alia vero terrestres et inferior, an vna tantum hominis anima sit admittenda, in vtramque partem disputat sic, vt vtriusque sententiae argumenta enarret; ipse tamen eorum aperte sententiam probauit, qui duas defenderent. Etenim non modo in caeteris hominibus <sup>44)</sup>, sed in Iesu etiam homine <sup>45)</sup>, animam et spiritum agnoscit, hincque plus vno in loco <sup>46)</sup> diserte tres hominis partes commemorat, ita quidem, vt ad notissimum simul Pauli in

B 2

I. Theff.

*χαρισμῶν τῶν ἰδιωτῶν.* Hoc igitur Spiritus S. donum non, vt Tatianus et Irenaeus fecerant, tribus hominis partibus annumerat, sed duplici animae eius adhuc addit.

43) *Lib. III. c. 4. Opp. To. I. pag. 145. seqq.* edit. de la Rue.

44) Cuius rei argumento est locus *Commentar. in Matth. To. III. Opp. pag. 876.* vbi ex eo, quod *Matth. 10. 28.* in verbis: *qui corpus et animam potest perdere*, nihil de spiritu dicitur, luculenter dicit adparere, spiritum cum corpore vel anima peccatrice non simul puniri, itemque alius, qui legitur *ibid. pag. 880.* vbi diuidit (Dominus,) inquit, *enim, quando spiritus quidem eius reuertitur ad Deum, qui dedit eum, anima autem cum corpore suo radie in gehennam.*

45) Quod fit v. c. *Tom. XVI. in Matth. §. 8. pag. 726. To. III. Opp.* vbi reprehendit τὰς ἀρχαίους τὰ περὶ τῶν πνευματικῶν πάντων κινήσεων τοῖς περὶ ψυχῆς καὶ τῶ σώματος ἰσθῶς, τὰ καὶ δε καὶ τὸ πνεύματος αὐτῶ; et *Commentar. in epist. ad Rom. l. I. §. 5. Opp. To. IV. pag. 466.* vbi, postquam laudauerat loci

*1. Cor. 6, 16. 17.* verba haec: *qui autem se iungit Domino, vnus Spiritus est*, addit deinde: *Ita ergo etiam nunc scias de anima Iesu, quia sociata Domino et cohaerens ei, vnus cum ipso factus sit Spiritus sanctificationis, non eam nominauit extrinsecus, ne solueret Iesum.*

46) Quorum nunc vnum hunc modo excitabo, qui legitur in *Commene. Epist. ad Rom. l. IX. §. 25. Opp. To. IV. pag. 654.* vbi postquam verba loci *Rom. XIII. 1. omnis anima potestatis sublimioribus subiaceat*, laudauerat, pergit deinde sic: *Videtur mihi in hoc valde laudabiliter animam nominasse, quam subiacere potestatibus iuber. Nunquam enim dixisset, omnis spiritus subiaceat potestati, sed omnis anima, De qua differentia saepe iam diximus, quod interdum per animam, interdum per carnem, interdum per spiritum homo nominatur. Sed cum a parte meliore nominandus est, quasi qui spiritualis intelligi debeat, spiritus dicitur: quando ab inferiore, anima: cum vero a detiore nominatur, caro dicitur: et horum testimonia de scripturis saepe protulimus.*

1. Theff. V, 23. locum provocet <sup>47)</sup>, Spiritum S. tamen, quem Irenaeus iis annumerauerat, perspicue ab iis distinguat <sup>48)</sup>. Et animam quidem ipse etiam inter spiritum et carnem ponit, virtutisque aequae ac vitii capacem esse <sup>49)</sup>, ideoque vel spiritui, vel carni se adiungere solere defendit <sup>50)</sup>; spiritum autem, in quo meliorem hominis partem inesse statuit <sup>51)</sup>, et in quem nullum ait peccatum cadere <sup>52)</sup>, in hominis nominatim conscientia sibi visus est deprehendisse <sup>53)</sup>.

Praeter

47) Cuius loci hac in re nominatim mentionem facit *Hom. III, in Exod. §. 3. pag. 137. To. II. Opp. To. XIII. in Mastb. §. 2. Opp. To. III. p. 570. et Tom. XIV. eiusd. Comment. §. 3. p. 618.* In *Commentar. autem in epist. ad Rom. lib. I. §. 18. pag. 473. Opp. To. IV. omnino dicit: Frequenter in scripturis inuenimus, et a nobis saepe differtur, quod homo spiritus et corpus et anima esse dicatur.*

48) In quam rem nihil potest luculentius esse iis, quae habet *Tom. XIII. in Mastb. §. 2. pag. 571. To. III. Opp. καὶ γὰρ, inquit, σαφῶς ὁ ἀπόστολος παρέσθαι ἕτερον εἶναι τὸ τῷ Θεῷ πνεῦμα καὶ ἐν ἡμῖν ἢ, παρὰ τὸ πνεῦμα ἐκάστου ἀνθρώπου ἐὸ ἐν αὐτῷ, ὅτι μὲν λέγων αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμάρτυρι τῷ πνεύματι ἡμῶν, ὅτι ἐσμὲν τέκνα Θεοῦ, κ. λ.*

49) Quo pertinent, quae leguntur *Tom. XXXII. in Ioan. §. 11. pag. 432. To. IV. Opp. vbi ταῦτα, inquit, ζητεῖν ἐτόλμησα μετρίως, τηρήσας ἐν πάσῃ τῇ γραφῇ διαφορὰς ψυχῆς καὶ πνεύματος, καὶ μέσον μὲν τι θεωρῶν εἶναι τὴν ψυχὴν καὶ ἐπιθεχωμένην ἀρετῇ καὶ κακίαν.*

50) Quam in rem in *Comment. in epist. ad Rom. lib. I. §. 5. p. 466. vbi de loco Rom. I, 3. disputat, haec ha-*

bet: *Puto, quod consuetudine sua Apostolus utatur etiam in hoc loco, sciens, mediam semper esse animam inter spiritum et carnem, et aut iungere se carni et effici unum cum carne, aut sociare se spiritui, et esse unum cum spiritu, ex quo, si quidem cum carne sit, carnales homines fiunt; si vero cum spiritu, spirituales.* Quibus simillima sunt, quae paulo post tradit §. 18. pag. 473.

51) Quod, ut alia loca nunc taceamus, adparet iam ex eo, quem *not. 46. excitauimus.*

52) Quod in *loc. not. 49. laud his verbis tradit: ἀνεπίδικτον τῶν χειρῶν τὸ πνεῦμα τῷ ἀνθρώπῳ τὸ ἐν αὐτῷ. τὰ γὰρ καλλίστα καρποὶ λέγονται εἶναι τῷ πνεύματι, ἢ ὡς ἀν εἰθεῖν τις τῷ ἁγίῳ, ἀλλὰ τῷ ἀνθρώπῳ.*

53) In quam rem admodum notabilis locus occurrit in *I. II. Comment. in epist. ad Rom. §. 9. pag. 466. vbi de loco Rom. 2, 15. disputans, necessarium, inquit, videtur discutere, quid istud sit, quod conscientiam Apostolus vocat: verumne alia sit aliqua substantia, quam cor vel anima. Haec enim conscientia et alibi dicitur quia reprehendat, non reprehendatur et iudicet bonum, non ipsa iudicetur, sicut air loannes:*

Praeter hos vero scriptores inter antiquiores huius sententiae, quae tres hominis partes vult admitti, defensores referendus videri etiam posset Melito, Sardinum quondam in Asia episcopus, qui quippe Eusebio teste <sup>54)</sup>, librum *περὶ Ψυχῆς καὶ σώματος ἢ νοῦς* <sup>55)</sup> scripsisse dicitur; quanquam, si vel maxime eiusmodi librum scripsisset, nondum constaret, quamnam in illo sententiam ea de re defenderit. Verum cum Eusebii iste locus aperte in mendo iaceat <sup>56)</sup>, hincque vario etiam in codicibus msc. modo exhibeatur <sup>57)</sup>, Hieronymi potius auctoritas, Rufini etiam ex parte <sup>58)</sup> atque Nicephori <sup>59)</sup> testimonio munita, sequenda esse videtur <sup>60)</sup>, qui librum hunc *de anima et corpore*

annes: si conscientia, inquit, nostra non reprehendat nos, fiduciam habemus ad Deum. Et iterum ipse Paulus alibi dicit, quia gloriatio nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae. Quia ergo tantam eius video libertatem, quae in bonis quidem gestis gaudeat semper, et exsulet, in malis vero non arguatur, sed ipsam animam, cui cohaeret, reprehendat et arguat, arbitror, quod ipse sit spiritus, qui ab Apostolo esse cum anima dicitur, secundum quod in superioribus edocuimus, velut paedagogus ei quidam sociatus et rector, ut eam de melioribus moneat, vel de culpis castiget et arguat; de quo et dicit Apostolus, quia nemo scit hominum, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est; et ipse sit conscientiae spiritus, de quo dicit: ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro.

54) Hist. Eccl. l. IV cap. 26.

55) Si quidem Valesii, Readingii et Strothii textum sequaris, secundum quem integer locus, qui hoc pertinet, ita habet: καὶ πρὸς τούτοις ὁ περὶ ψυχῆς καὶ σώματος ἢ νοῦς καὶ ὁ περὶ λογισμῶν, κ. λ.

56) Scribendum enim saltem fuisset, ut Rufinus legit: περὶ ψυχῆς καὶ σώματος καὶ νοῦς. Hoc enim Rufinus expressit, qui ita habet: *de anima et corpore et mente.*

57) In quorum quippe nonnullis locus hic in hunc modum exhibetur: καὶ πρὸς τούτοις ὁ περὶ ψυχῆς καὶ σώματος ἢν. ἐν οἷς καὶ ὁ περὶ λογισμῶν κ. λ. hancque ipsam lectionem Stephanus quoque exhibuit, secutusque etiam est Halloixius Tom. II. scriptor. Orient. p. 828.

58) Quanquam enim hic, ut diximus nos. 56. locum Eusebii ita expressit, ut eam, quae nunc vulgaris est, lectionem videatur secutus esse, tamen, paucis interiectis aliis, eiusdem operis titulus apud ipsum recurrit, his quidem verbis perscriptus: *de anima et corpore.*

59) In cuius Hist. eccles. l. IV. cap. 10. de libro hoc haec leguntur: ἐπὶ δὲ τούτοις ὁ περὶ ψυχῆς αὐτῆς καὶ σώματος πεπονημένος ἐστίν. ἐν οἷς καὶ ὁ περὶ λογισμῶν κ. λ.

60) Id quod ipsum iam defendit Car. Christ Woog in Dissert. II. de Melitone, Sardinum in Asia episcopo, (Lips.)

pore inscriptum fuisse tradit <sup>61)</sup>. Certiora contra de Didymo, scholae Alexandrinae quondam praefecto, defendi possunt. Hunc enim, non modo Gennadius, s. quicumque auctor est libri *de eccles. dogmat.* <sup>62)</sup> diserte refert <sup>63)</sup>, tertium quendam in substantia hominis spiritum defendisse, sed ex ipsius etiam libro *de Spir. S.* quem ab Hieronymo, qui magistro eo usus fuerat, latine versum habemus, adparet. In eo enim, et ipse loci Paulini 1. Thess. V, 23. auctoritate nixus, diserte adfirmat, alium esse hominis spiritum atque aliam item animam eius, negatque spiritum in illo loco commemoratum, de Spiritu S. vt multorum sententia ferebat, intelligi posse <sup>64)</sup>. Praeter hunc autem plures etiam alios circa haec ipsa tempora eandem cum illo sententiam defendisse, Hieronymi testimonio constat. Is enim aliquoties narrat <sup>65)</sup>, plures esse, qui diuersum ab anima homini spiritum inesse statuunt, inque eius rei argumentum vel Pauli locum saepius iam laudatum <sup>66)</sup>, vel alia scripturae dicta exci-

tent,

(Lipsf. 1751. 4.) p. 15. sq. in cuius partes nos quidem hac in re multo libentius concesserimus, quam in modo, quo locum Eusebii constituendum iudicauit. Vult enim, vt ita legatur: καὶ πρὸς τούτους ὁ περὶ ψυχῆς καὶ σώματος. ἢ ἐν οἷς καὶ ὁ περὶ λυτρῆς, putatque ex his ipsis verbis: ἢ ἐν οἷς per librarium osecitantiam facile potuisse vulgarem lectionem ἢ ἠὲς enasci.

61) De viris illustr. cap. 24.

62) De quo si quis varias virorum doctorum sententias earumque causas cognoscere cupiat, adeat in primis Fabricii *Bibl. lat. med. et inf. aet. l. VII. pag. 91. sq.*

63) Cap. XX. vbi non est, inquit, verius in substantia hominis spiritus, sicut Didymus contendit: sed spiritus ipsa est anima, pro spiritali natura, vel pro eo, quod spiritus in corpore, spiritus appellatur. Anima vero ex eo vocatur,

quod ad viuendum vel ad viuificandum animae corpus.

64) Sunt nimirum verba eius ex edit. Gallandi in *Bibl. PP. Vol. VI. p. 232. cap. 56.* haec: Ad Thesalonicensis quoque: Integer, inquit, spiritus vester et anima et corpus. Sicut enim alia est anima, et corpus aliud: sic et aliud est spiritus ab anima, quae suo loco specialiter adpellatur. De quo et orauit, vt integer cum anima seruetur et corpore: quia incredibile est, atque blasphemum, orare Apostolum, vt spiritus s. integer seruetur, qui nec imminutionem potest recipere, nec profectum. De humano ergo, vt diximus, spiritu in hoc Apostoli sermo testatur est.

65) In *Epist. ad Hedib. quaeft. 12.* et in *Comment. in Daniel. Cap. III.*

66) De quo in *epist. ad Hedib. l. I.* haec habet: Multi simpliciter hunc locum de resurrectione intelligunt, et ex spiritus



tent<sup>67</sup>), ipse tamen eorum sententiam minime probandam esse iudicat.

Neque vero orthodoxi tantum antiquioris ecclesiae doctores, inter quos tamen nunquam etiam defuerunt, qui contrarium defenderent<sup>68</sup>), hanc sententiam de tribus hominum partibus amplexi sunt; sed pluribus etiam haereticorum subinde fuit probata, inque aliarum sententiarum publice susceptarum impugnationem conversa. Atque id ipsum occasionem dedisse videtur, ut ea posthaec ab orthodoxis quidem penitus fere abiiceretur et

*Spiritus et anima et corpus in aduentu Domini integra seruentur; alii ex hoc loco triplicem in homine volunt affirmare substantiam, spiritus, quo sentimus, animae, qua vivimus, corporis, quo incedimus. Sunt, qui ex anima tamen et corpore subsistere hominem differentes, spiritum in eo tertium non substantiam velint intelligi, sed efficientiam, per quam et mens in nobis et sensus et cogitatio et animus appellantur; et vtrique non sunt tot substantiae, quae nomina. — Nos autem in praesenti loco, ut supra diximus, spiritum, qui cum anima et corpore integer conservatur, non substantiam Spiritus S. quae non potest interire, sed gratias eius donationesque accipimus; quae nostra vel virtute, vel vitio et accenduntur et extinguuntur in nobis.*

67) Quatenam haec fuerint, ex altero loco *Comment. in Dan.* intelligi potest, in quo ad verba v. 39. *sed in anima contrita et spiritu humilitatis suscipiamur*, haec observat: *Et ex praesenti loco et ex eo, quod sequitur: benedicite spiritus et animae iustorum Domino, et in Psalmis: (Ps. 51, 19.) Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus*

*non despicit, sunt, qui alium velint esse spiritum in homine, excepto Spiritu S. et aliam animam. Sed laborandum eis erit, quomodo absque carne et gratia spiritus s. duae substantiae et duo interiores homines in vno homine esse dicantur.*

68) Inter quos praeter Hieronymum modo commemoratum nominatim etiam referendus est Tertullianus, qui in *libr. de anim. cap. 10. u. seqq.* discrimen, quod quidam inter animum et animam constituendum iudicabant, diserte proferbit, et meras in eo argutias deprehendit. Fuisse autem omnino duas semper partes eorum, qui vel vnam eandemque mentem et animam hominis, vel diversas esse dicebant, praeter Origenis locum *nos. 43. laud.* confirmat etiam Lactantii locus in *libr. de opific. Dei cap. 13.* vbi aequae ac Origenes in loco illo vtriusque partis argumenta enarrat, ipse tamen in neutram partem quicquam definit. Ex priorum eum partibus fuisse, et eo adparet, quod *Inst. div. L. II. c. 12.* duas tantum hominis partes, animam et corpus, commemorat,

et vt haeretica damnaretur. Verum cum spatii iam angustia prohibeamur, quo minus haec vberius nunc possimus exponere, proxima scribendi occasione pluribus a nobis erunt persequenda.

Nunc autem ad id conuertimur, cuius causa haec a nobis scribenda fuerunt. Instat enim laetissimus ille dies, quo memoria repurgatorum per Lutherum eiusque socios sacrorum doctrinaeque emendatae ab Academia nostra more consueto iterum est recolenda. Is autem cum inprimis hoc postulet, vt oratione solenni beneficii istius magnitudo iustis laudibus extollatur atque praedicetur, has quidem partes in se nunc suscipiet Vir Plur. Rever. atque Excellentissimus, deque iuuentute academica institutione sua optime merens, CAROLVS FRIDERICVS RICHTERVS, Philos. D. et Prof. Publ. Extraordinar. Theol. Baccal. ostensus, *nihil Lutheri laudibus eo detrahi, quod plus effecerit, quam primis consiliis ipse spectauerat;* ad quem audiendum omninoque sacra ista concelebranda, vt Vos, COMITES ILLUSTRISSIMI, VTRIVSQUE CIVITATIS PATRES ac PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI atque HUMANISSIMI, futuro die XXXI. hui. mens. hor. XII. frequentes conueniatis, eo impensius rogamus atque hortamur, quo plus causae habemus, quod non modo laetemur, tantum illud beneficium, Immortalis Viri opera nobis partum, per hoc quoque, quod fere iam emensi sumus, seculum, saluum atque integrum nobis fuisse seruatum, sed Deum etiam enixe precemur, vt idem nobis per proximi etiam, quod instat, seculi decursum tueatur, illaefumque feruet.

P. P. Domin. XX. p. Fest. Trinit, A. c1o1occc.

---

LIPSI AE

EX OFFICINA KLAYBARTHIA.






Q76 550(5)

X 363 4767

Πi  
2021



CTOR  
 IAE LIPSIENSIS  
 MORIAM  
 DATIONIS  
 AE ET SACRORVM  
 LVTHERVM  
 FACTAE  
 ANNIVERSARIA  
 OCTOBR. A. MDCXCVIII  
 IN  
 PAVLINA  
 RECOLENDAM  
 INDICIT



*ae culpa corruptae per Platonicas sententiar  
eologiae liberandis.*

*entatio VIII.*

*of the ...*

